S. P. Vir Illustris ac Magnifice:

Mensem solidum decubui. ut in publicum proserpere nondum audiam. Aliâs ipsemet ego Excel.tiam tuam salutâssem hodie. est enim, in quo mihi licet. Magistratui Amstelodamensi decretum, Historiae Romanae professorem condere. In Senatu, de hoc, illoc, sermo fuit. tandem, et de me quoque. Non uni erant; qui faverent nobis. id communi Amico nostro, divino Heinsio, communicatum. mox, Heros ille, pro suo erga me adfectu, illustri ac honesto testimonio qualiacumque nostra studia commendavit. fecerunt idem alij; qui bene mihi cupiunt. Nunc et tuam rogo Exc.tiam ne dedignetur me, pari studio, et adfectu, in eorum gratiam insinuare; qui hic maxima et summa possunt. D. Albertus Conradus, Scholae Illustris Antistes est. et praestantissimus Borelius, plurima hic potest. Ambo, Hagae sunt; ut audio. Sed, et Amplissimus Backerus, qui Generalium Ordinum est portio, hoc in negotio, minima valet. praesertim, apud Nepotem suum, Wilhelmum Backerum, Consulem Amstelodamensem. et volet procul dubio; quod poterit. quippe â puero qui novit me. et, cupere, jam didici. Res; ut audio; maturatur indies. ut, prima quaque occasione, gratificere tuo Cabeliario. Quod vicissim praestem Tuae Exc.tiae nihil habeo. Si quid, tamen, repensare detur; totum illud tuis filijs debebitur. tum, isti parvulo, in primis; qui nuper mecum, de studijs Latinis. Hunc si credideris aliquando mihi; dabo operam, ut mirum in Parentem animum, omni tempore, experiatur. Quo tuam Exc.tiam nunc onero; sic nôrit quidem istuc: vel, interpretari; vel, suo commendare loco: ne quid, meo nomine, Tanti Amici, adfectâsse insolentius videantur. Quid, praeterea? Committo sapientiae et prudentiae tuae; quicquid mihi, hac in re, profuturum judicârit.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 10-11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0486

Deum Opt. Max. oro venerorque, diu ut Te, Heros, Patriæ ac Principi, Tuis et amicis, servet incolumem! Salve, Decus & præsidium meum. Hagæ. 11. Cal. Decemb. MDCXXXIX.

Excellentiæ Tuæ

studiosissimus

Jos. Cabeliavius.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 10-11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0486

Illustri, Ampliſsimo, Doctiſsimóque
Viro,
D. CONSTANTINO HUGENIO,
Polyhistori,
Celsiſsimo PRINCIPI Auriaco
à Secretis & intimis
consilijs
Domino in Zuilichem, &c
Domino & Amico suo
intimo.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 10-11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0486